nis et nebulonibus expelat, Vnus alterum intuebatur phantasma an illuminatus esset ignorabant. Ascendit assuetam Illuminatus Cameram, tunc uidit expulsos famulos abreptum cubiculum depredatum Lyceum et omnia prorepta fuisse. Aulae praefectum adiens dixit authoritatem Ducis fuisse ne illuminatus reciperetur amplius in domum, sic ipse licentia discessit ad propria parte. Jussit eum uocari auunculus eodem mox die, neque statim ipse primae uocationi cessit, sed repetitis uicibus cum in Ducis domo adijt, iussit reciperet claues, habitaret consueto more, et satis bonis uerbis Illuminatum accepit, ut etiam aureos usque pollicitus fuerit montes, recepit igitur claues Illuminatus, praesertim quia eodem die, ad idem munus obeundum hortatorias Caelinagi acceperat litteras, pergratum fuisse auunculo et Matri totum hoc, statim uisum fuit, nam et Mater Caelinagi, quae longe siluerat Illuminatum allocuta et adhortata, ut litteris Caelinagum, aut ad Vrbem reuocaret, aut ad parentis oppidum, ubi eum iam Parens expectabat mitteret. Aduocatus etiam fuit Tardigradus, et idem ab eo postulatum, uterque tamen Lynceus, uerborum elegantia et facilitate deceptus, uidebantur quippe, et iam hoc indicabat, occulta facies ad arcanum scelus detinuisse eos, ut si culpa in ipso pareret aliqua, in promptu essent, uel si Caelinagus reditum non properaret, in hos totam expleret excandescentiam.

At nulla res pura conscientia pulchrior, nullus animus immaculato fortior, uir, inquit S. Paulus, non timere potestatem, fac bonum, melior est uir bonus quam Princeps malus, non timet ministros Dei qui Deum propitium habet.

Interim Caelinagus Corbaram concessit, et apud Loij comitem pro rerum suarum expeditione mansit eodem tempore ad Eclipsatum promutatos equos à Duce missi sunt alij Aulici, mandato ut et idem Caelinagum quaesitum, et conuocatum irent, quemadmodum egit, et eodem die in arce ea Caelinagum decessit. Tractabat interim comes apud Caelinagi Parentem aliquam rerum tranquillitatem, quam bonis uerbis tunc facillime concedere uidebatur, quibus statim Caelinagus acquieuit, et se Parentem accessurum quam primum pollicitus est, dum haec apud eos gerebantur Illuminatum Caelinagus litteris ad se quotidie uocabat negabant accessum Parentes et consanguinei. Litteras etiam hortatorias ad Caelinagi cum parente consensum, quas Tardigradus Illuminatusque conscripserant Caelingo Principi nequaquam miserunt, uerum clam detinuerunt, quod etiam clarum inditium fuit, eos adhuc non fidere Lyncaeorum animis, quibus tamen eo tempore